



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLVI. Christus imploratur Iudex dividundæ Hæreditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

fædum cadaver intus lateat. Itaque vel maximè ab internis & occultis peccatis Anima munda servanda est; & ab appetitu honoris, qui multorum peccatorum radix est; & ab iniquo, ac temerario iudicio adversus Proximum; & ab omni eo, quod Charitatem DEI tollit.

MEDITATIO CCCLVI.

Christus imploratur Iudex dividunda

Hereditatis. Luc. 12. v. 13.

PUNCTUM I. *Ait autem ei quidam de turba (dum publice ad populum diceret) Magister, Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos? Sic à negotijs sæcularibus, vel à Statu, Vocatione, vel proprio Officio alienis, & impediens, aut nimium distrahentibus, abstinendum est, etiamsi in se bona, & honesta essent. Imò cum ijs hominibus commercium refugiendum est, qui huiusmodi requirunt. Hinc velut ignoto Christus dixit: Homo. Et Luc. 10. cum septuaginta duos Discipulos mitteret binos ante faciem suam, præcepit illis: Neminem per viam salutaris: ne huiusmodi familiaritate, vel non necessario colloquio à munere Prædicandi se ullatenus distrahi, vel retardari sinerent.*

PUNCT. II. *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens (occasione, hæreditatem & divitias appetentis) Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea*

horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea. v. 16. Sicut cura inordinata augendi res temporales avaritia est, sic studium augendi Bona Æterna Providentia est; ut inique homo ille avaritiam evitasset, & Providentiam suam demonstrasset, suum animum potius, quam horrea, capaciores & ampliores reddere debuisset ad Cælestia & Æterna Bona recipienda. Tu ergo ab edificatione omnium rerum temporalium, destrue angusta horrea, solummodo capacia eorum bonorum, quæ congregantur cum labore & sollicitudine, & transeunt cum celeritate; & dilata animum, ad congreganda Bona plurima, maxima, & Æterna: thesauriza tibi, ut sis *in DEVM dives*, id est, meritis erga DEVM. Hanc Sapientiam discite ex similitudine huius hominis divitis.

PUNCT. III. *Dicam Animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibes, epulare. Dixit autem illi DEVS: Stulte hæc nocte Animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in DEVM dives.* v. 19. Hæc nempe est vera stultitia: promittere sibi longam vitam, tempore brevissimo finiendam; putare esse vera bona, & esse sua bona, quæ hinc auferri non possunt, sed alijs sunt relinquenda: vicissim nulla habere bona, vel nonnisi paucissima, de quibus quaerenti: *Cuius erunt?* respondere possis: *Mea.* Cujusmodi sunt sola Opera Bona. Ideo S. Joanni Apoc. 14. v. 13. dixit DEVS: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.*